

## Le livre des serfs de Marmoutier, Nr. 8

Notum sit omnibus quod Ulgerius de Carcere et frater ejus habebant duos servos in commune, Rainaldum et sororem ejus. Ulgerii frater, quando venit ad finem suum, dedit Sancto Martino suam partem de illis duobus servis. Postea contigit ut domnus abbas Bartolomeus rediret Carnoto, et transiret per Lavarzinum. Unde cum exiret, comitatus est ei Ulgerius, habitoque sermone de predictis servis, dixit se libenter concedere donum fratris, et insuper suam partem dare. Convocatis ergo his qui cum domno abbate erant in quadam plateola, in ipso introitu Wastinae silvae, omnibus audientibus auctorizavit Sancto Martino utrosque servos, id est et partem fratris et suam, unam libram piperis pro hoc expetens et unas botas de cordoanno. Hujus rei testes: Petrus coquus, Giraldus coquus, Durandus mariscalcus, Archembaldus, Lealdus famulus, Johannes conversus, Ebo clericus, Richardus novitius.